



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

V. De Episcopis, & summo Pontifice.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

Lia vero concilia, quæ ductu Sancti Spiritus congregata & celebrata fuerint, proximum ab istis sibi locum vendicant. Quod si quando inter ea discord sententia inveniat, illius sententia magis est tenenda, cujus antiquior & major est auctoritas.

*Provincialia concilia quæ sunt, & quæ ipsi leguntur.*

Provincialia a concilia sunt, quæ propter Ecclesiasticas causas, & altercationum sedationes per singulas Provincias, convocante Metropolitanò Episcopo omnes provinciales Episcopos, & cathedralium Ecclesiarum capitula, celebrari placuit. Hæc autem neque diffiniendi b, neque generaliter constituendi vim aliquam habent: sed tantum curandi, ut id servetur, quod aliàs statutum est, & quod generaliter seu specialiter observari præceptum est: licet interdum & quæ ab his rectè statuta sunt, etiam Catholica Ecclesia suscipiat.

*Quæ sint Episcopalia concilia, & quæ ipsi leguntur.*

Episcopalia concilia sunt, quæ Episcopus in sua diocesi singulis annis c convocat, dum inter suos Abbates, Presbyteros & Clericos cognoscit. In his, si quid ab Episcopo statutum fuerit, nec subditi extra Diocesim constituti, neque ignorantes (nisi sit ignorantia supina) ligantur. Quamobrem pastoralis officii cura postulat, ut, quæ in illis constituta fuerint, Episcopus suis plebibus nota facere non omittat.

*Decreta Pontificum Romanorum aequipollent decretis conciliorum.*

Decreta d quoque Pontificum Romanorum Canonibus Conciliorum pari potestate exæquantur. Nam si id demum hodie probatur, quod sedes Apostolica probavit, & quod illa repulit, rejicitur: multo magis quæ ipsa pro Catholica fide, pro sacris dogmatibus diverso tempore scriptæ, debent ob omnibus reverenter recipi.

*Scripta sanctorum non inserta Turi communi, secundum post decreta Pontificum Romanorum locum obtinent.*

Lia e sanè est causa eorum, quæ sancti viri, vel sacre paginæ interpretes scripta reliquerunt: nam quæ sacris canonibus inserta comperiuntur, parè cum eis obtinent firmitatem, cetera verò post scita Pontificum auctoritatem tenent: nam licet divinarum scripturarum interpretes scientia Pontificibus interdum præcedant, quia tamen statuendi potestate destituuntur, in scripturis quidem exponendis illis quandoque præponuntur: in causis verò diffiniendis, secundum post eos locum habere merentur. Aliud est f enim causis terminum imponere, aliud scripturas diligenter interpretari, cum in negotiis diffiniendis non solum necessaria sit scientia, verum etiam potestas.

*Ius Canonicum versatur circa personas, res, & judicia.*

Veratur autem Ius Canonicum circa tria: circa personas, res, & judicia. Verum quia posteriora duo ad personas referuntur, videamus prius de personis: parum enim esset illa noscere, si personæ ignorentur, quarum causa illa ipsa constituta sunt, & per quas ea omnia administrantur.

DE IVRE PERSONARVM. TITVLVS IV.

*Christianorum quidam sunt laici, quidam clerici: & clericorum quidam sunt in sacerdotio constituti, quidam in sacris, non in sacerdotio, quidam nec in sacerdotio, nec in sacris.*

Personarum g genera duo sunt, unum laicorum, alterum verò clericorum. Laici, qui & populares dici possunt, sunt, quibus licet temporalia possidere, uxorem ducere, causas agere, inter virum &

a Dist. 17. per totum. & can. propter. dist. 18. b d. dist. 18. c. 15. in sum. c can. pen. in Palea 18. dist. & c. sicut olim. extra. de accus. d can. 3. per totum. dist. 19. e dist. 20. per totum. f s. sed aliud. in sum. d. dist. 20. g Can. duo sunt genera. 12. quæst. 1.

virum judicare. Clerici sunt, qui divinis officii ministerii sunt, & quos ab omni strepitu cessare convenit. Videamus igitur de iis, qui divinis officii sunt a scriptis, nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sunt, simul etiam & qui laici sunt, intelligemus. Horum autem quidam sunt in sacerdotio, quidam in sacris, quidam nec in sacerdotio, nec in sacris. Rursus eorum qui in sacerdotio constituti sunt, quidam sunt in altiore gradu vel ordine positi, quidam verò in inferiore. Videamus igitur primum de his sacerdotibus qui in altiore gradu positi sunt, proximè de his qui in inferiore, ac subinde de his qui tantum in sacris ordinibus constituti sunt, vulturi, & demum de his, qui nec in sacerdotio nec in sacris reperiuntur.

DE EPISCOPIS ET SYMMO PONTIFICE. TITVLVS V.

*Episcoporum ordo est tripartitus, & Patriarcha primum est Papam locum tenens.*

In altiori gradu constituti sunt Episcopi. Est autem Episcoporum ordo tripartitus: Alii enim sunt Patriarchæ, sive Primate: alii Archiepiscopi: alii simpliciter Episcopi Patriarchæ b sunt, qui primum pontificiam Pontificem tenent locum: quales Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus. Appellantur autem Patriarchæ, quia summo honore funguntur, quasi patrum Principes: unde ob dignitatis excellentiam, & crucem e iis deserte, ab Episcopis & Archiepiscopis appellationes recipere se permittunt.

*Archiepiscopi sunt presules Episcoporum unius Province.*

Archiepiscopi d sunt unius Province Episcoporum Principes & Presules. Provincie liquidem a longo ante adventum Christi tempore, maxima ex parte divise erant: quæ divisio postmodum ab Apostolis & eorum successoribus renovata est. Itaque ubi dudum Prætorum erant seculi, nostros Patriarchas vel Primate lege diastifica poni iusserunt. In civitatibus autem Metropolitanis, quæ minores Iudices habebant, illi hodie præfunt, qui Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine designantur. Ad hos igitur inter hoc præterea cognoscere pertinet: à quibus samen si dicitur ab aliis & accepti fuerint, ad Primate, aut scilicet Apostolicam appellare poterunt.

*Episcopi sunt, qui præfunt majoribus populis & laici quædam appellari possunt, & magna est opinio in ecclesia catholica.*

Simpliciter autem Episcopi sunt f, qui maioribus populis & frequentioribus civitatibus præfunt. Si speculatores Latine dici possunt: Episcopus enim quasi speculator in Ecclesia præpositus est: Mores enim & vitam populorum infra se positorum speculatur & persequitur. Horum autem non modica in Ecclesia est auctoritas: nam præter ligandi solvendique potestatem, & visitandi diligentiam, soli sacrum christum consecrant, & soli Dei altaria & Ecclesias consecrant, & postulas repungunt, Clericos ordinant, suspendunt & deponunt: ad hos pertinet excommunicatio, purgationis iudicium, dispensatio, solennis poenitentia impositio.

*Quod inferiora conceditur, multo magis conceditur & superius.*

Quod autem diximus prædicta solos Episcopos esse. Quere posse, non eum habet intellectum, quasi Archiepiscopi & Primate non eandem habeant potestatem.

a Can. 1. ord. dist. 21. b d. can. 1. Patriarcha. c C. antiq. Patriarchalium. ext. de priv. d Can. 1. dist. 21. e Ca. 1. dist. 19. f Can. 1. 4. Episcopus. dist. 21. g Can. 1. ord. ad Episcopos. dist. 25. can. quævis. dist. 61. & 26. quæst. 6. per totum.





tem: sed, quod Presbyteris & ceteris inferioribus illa non conceduntur. Ridiculum enim esset cogitare, Episcopis illa quidem permitti, Archiepiscopis & Primatibus qui Episcopis prestant, eadem denegari.

*Tapa est ordinarius omnium ordinariarum, & Ecclesie Romanae omnes ecclesie subijcti.*

**S**icut autem Petrus Apostolus primus fuit Apostolorum, ita & Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituitur, prima est & caput ceterarum: & qui illi preest, ceteros Episcopos antecellit: unde ad eam, tanquam ad matrem, atque apicem, omnes majores Ecclesie & Episcopi recurrunt, a qua quasi a quodam capite dona velut in corpus omne diffunduntur. Ipsa autem tanquam omnium magistra, celsiore sede residens, a quoquam judicari non poterit. Quinimo velut tempore. Nō omnes extra arcem positi diluvii vastitate consumpti sunt; sic extra Petri naviculam constituti, aeternae damnationis fluctibus obruentur.

DE ELECTIONE. TITVLVS VI.

*Duobus modis creatur Episcopi.*

**P**romoventur autem tam Episcopi, quam prelati ceteri, aut per electionem, aut per postulationem.

*Quid sit electio, & quid ad unum ius eligendi habentes citari debent, alius non valet electio: & non citatus potest habere ratam electionem.*

**E**lectum, ut prius de electione dicamus, Electio nihil aliud est, quam hominis alicujus ad dignitatem, vel aeternam societatem Canonice facta vocatio: nam cum viduata providendum est Ecclesie, debent cuncti, qui eligendi ius habent, legitime citari, ut electioni intersint. Quod si vel in unius persona fuerit id omisum, irritam reddat electionem talis omisio. Sape etenim rescriptum est, magis hac in re unius obesse contemptum, quam multorum contradictionem: plane si is, qui citatus non fuerit, ratam adveniētem habere velit electionem, confirmanda erit electio.

*Abiens potest uni de capitulo votum suum demandare, h. d.*

**S**ed & si quis casu aliquo ad electionem accedere fuerit impeditus, votum suum uni vel pluribus de capitulo demandare minime prohibendus erit.

*Procurator an eligendum non potest unum procuratoris, alium proprio nomine eligere, nisi habeat mandatum de eligenda certa persona.*

**E**t si tantum uni votum suum quis demandaverit, & is unum suo, alium mandantis nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit, nisi de certa eligenda persona mandatum acceperit: quo casu in illam mandantis, in aliam suo nomine jure consentire poterit.

*Duobus procuratoribus ad eligendum datus in solidum, non possunt ambo eligere, sed erit melior conditio occupantis: & si non apparet de prioritate in occupando, praeponitur electus a capitulo, vel primo nominatus in procuratore, h. d.*

**Q**uod si pluribus, & in solidum voces suas quis commiserit, non quidem omnes reddere votum poterunt (quia vota dirigere possent in diversos, sicque res non haberet exitum) sed erit occupantis melior conditio: & si ita concurrant, ut inter eos prior non appareat, is admittetur duntaxat, quem vel capitulum vel pars major elegerit: vel si concordare nequeant, is qui primus in instrumento vel literis procuracionis nominatus fuerit.

*Non possunt plures deputari ad eligendum non in solidum, h. d.*

**S**in autem plures non in solidum constituti fuerint, eadem ratione nullas eorum admittendus erit, sibi quem mandans imputet, qui sic eos imprudenter constituerit.

*Non potest votum in electione reddi per literas.*

a Ca. antiq. ext. de priv. l. b. Ca. quod sicut in si. prim. d. tit. de elect. c. d. c. quod sicut in si. prim. d. c. si quis iusto. s. portio de elect. in 4. c. c. si quis iusto. in princ. de elect. in 6.

**S**ed cum absens reclamante capitulo extraneum constituitur nequeat, videamus an si nullus de collegio velit esse procurator, saltem per literas votum suum reddere valeat? & sane, cum non ante electionem, sed in ipsa electione secreta & sigillatim duntaxat singulorum vota sint exprimenda, per literas reddi non poterunt.

*Superius dicta non habent locum in electione Papa, in qua multa sunt specialia, h. d.*

**S**ed hac quidem in aliorum Episcoporum, non in Romani Pontificis electione obtinent. In hujus enim nec ulla necessaria est citatio, nec alii quis absens votum suum demandare permittitur. Alia quoque in eo specialiter constituta sunt, quae ex Decretalium libris decentius est quam hic, accipere.

*Electio celebratur tribus modis, & quomodo per inspirationem: & quod laici non per inspirationem, sed per conspirationem dicuntur eligere, h. d.*

**C**elebratur autem electio tribus modis, per inspirationem, per scrutinium, & per compromissum: per inspirationem, ut cum electores nullo precedente tractatu, quasi divini Spiritus impulsu simul omnes in unum repente consentiunt, & simul unum nominant. quod si forte laici prece vel precio & corrupti aliquem concordibus clamoribus petant, is non tam per inspirationem, quam per nefariam conspirationem nominatus, omnipotentis electionis fructu merito carere debet.

*Quomodo dicatur celebrari electio per scrutinium, & qui sint scrutatores, h. d.*

**P**er scrutinium fieri dicitur electio, cum praesentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt commode interesse, tres de collegio fide digni assumuntur, qui secreta & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirunt, & demum in scripturam redacta publicant. Quo facto collatione habita, is demum censetur electus, in quem vel omnes, vel major & sanior pars capituli statim consenserint.

*Pars minor eligentium, ad infringendam majoris partis electionem, potest opponere de propria auctoritate ac zelo, & de merito electi, h. d.*

**Q**uod si eligentium vota ita se diverserint, ut hinc quidem electorum pars numerosior consistat, inde minor, sed quae non minus ex auctoritate eligentium, quam ex meritis electi sanior appareat, ad infringendam partis numerosioris electionem facultas erit minori, & de auctoritate ipsorum eligentium, & de meritis eorum qui electi fuerint, opponere.

*Contra electionem factam a duabus partibus non potest opponi nisi de nullitate voti alicujus earum duntaxat partium, h. d.*

**H**oc tamen tunc obtinebit, cum non magnus in altera parte comigerit excessus: ceterum si quando a duabus electionibus celebratis, pars altera eligentium, alia duplo major numero deprehendatur, contra hujusmodi electores ad extenuationem meriti vel auctoritatis ipsorum, paucioribus, vel electo ab eis opponendi facultas non erit: quanquam, si quid opponere voluerint, quod votum illius, cui opponitur, nullum ipso jure redderet, id eis minime censetur interdictum. Vocantur autem viri tres de collegio sumpti, scrutatores, eo quod singulorum vota diligenter scrutentur.

*Quomodo per compromissum celebratur electio, & quid arbitri non servantes formam compromissi nulliter eligant, h. d.*

**P**er compromissum celebratur electio, cum plures idonei viri eliguntur, in quos omnium vice eligendi certo modo facultas & potestas transfunditur, qui arbitri compromissi fines diligenter custodire debent, scituri, si quid non secundum demandatam formam egerint, nullum habiturum esse juris effectum.

a C. perpetuo. ubi presump. s. Hella. de elect. in 6. b. Can. si ergo s. q. 1. & c. 2. de elect. extra. c. c. si quando contigerit. de elect. in 4.